Dissertatio Medica inauguralis de Enemate Uterino. quam Gratiosi Medicorum Ordinis Indultu.

J
XVII
18/n

J XIII 18/n
6/-
£ 13.4
C=1. 63.694

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS
DE
ENEMATE VTERINO

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS INDVLTV

PRAESIDE

CAROLO FRIDERICO HVNDERTMARK

PHIL. ET MED. D. P. P. ET FACVLT. MED. ADSESSORE ACADEMIARVM IMPERIALIS ROM. NAT. CVR. ET REGIARVM LONDIN. ET HOLMIENSIS COLLEGA INSTITVTI SCIENTIARVM ET ARTIVM BONONIENSIS ACADEMICO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS

OBTINENDIS

IPSO PACIS RELIGIOSAE ANNO SAECVLARI

DIE XXIV. OCTOBR. CIƆIƆCCLV.

DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES GODOFREDVS NEVHOFF

SORBIG. MISN.

MED. BACCALAVR.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CHRISTIANO HENRICO
HAENELIO

MEDICINAE DOCTORI

SACRAE REGIAE MAIESTATIS
POLONIARVM ELECTORIS SAXONIAE
A CONSILIIS AVLICIS ET AVLAE
MEDICO EXERCITVVM ARCHIATRO COLLEGII
MEDICO CHIRVRGICI DRESDENSIS PRAESIDI
ET MEDICINAE DOCENTI NOSOCOMII A
CARITATE DICTI MEDICO

VIRO

DE OMNIBVS HIS GRAVISSIMIS MVNERIBVS
MERITISSIMO

PATRONO

ET FORTVNARVM SVARVM STATORI

HOS LABORES ACADEMICOS

DEVOTA MENTE

CONSECRAT

AVTOR

VIR
ILLVSTRIS EXCELLENTISSIME

Etiamſi plurimis in me collatis beneficiis, optimisque ad ſtudia mea promouenda conſiliis, quorum memoriam nunc gratus recolo, me TIBI obſtrictiſſimum haud effeciſſes, ſola tamen Nominis TVI celebritas et meritorum TVORVM erga rem publicam medicam excellentia, me, vt publicum, obſeruantiae erga TE meae, documentum nunc ederem, inducturae erant. Illa quidem temeritate et mei ipſius confidentia elatus haud ſum, quo, ex laudibus meis aliquod meritis TVIS augmentum accedere nunc poſſe, autumen, qui, laudatos viros a laudatis ſibique ſimilibus rerum aeſtimatoribus, efficaciter collaudari tantum poſſe, haud ignorem: Enimuero, nec neſcio, ex inferiori quoque loco thura accenſa in ſublime ferri; Igitur meae auda-

 ciae

ciae TE veniam iſtam, vt TIBI, pro more inter Academicos recepto, pagellas iſtas docimaſticas conſecrare nunc poſſim, largiturum, confido. Noui enim iſtam animi TVI aequitatem et humanitatem, qua bonae mentis ſignificationes boni ſemper conſuluiſti. Accipe igitur a Diſcipulo publicas, pro fideli inſtitutione, gratias: Serena fronte huius meae diſſertatiunculae, ex fonte chirurgico depromptae, argumentum inſpice, TEque benignum mihi exhibe iudicem, non quod debuerit, ſed quod potuerit ſcribi, exiſtimaturum. DEVS autem TE, Virum de medicina omni, atque potiſſimum de illa, quae manu ſanat, bene merentem, in TVAS, TVAEque Splendidiſſimae Familiae, hinc in publicas opportunitates, ſaluum faxit, omnibusque felicitatibus, quas vllo voto mens aſſequi poteſt, TE compleat, quem veneror

NOMINIS TVI EXCELLENTISSIMI

CVLTOR OBSEQVIOSISSIMVS
IOANNES GODOFREDVS NEVHOFF

§. I.

De Liquoribus medicatis in caua mittendis.

Quo propius medicamenta cauſis morborum, quas mutare debent, admouentur, atque vel illis immiſcentur, vel preſſo contactu iunguntur, eo maiorem edere poſſunt efficaciam; Namque, veluti potentia non mouet, niſi vectem attingat, ita materia rerum iuuantium nihil omnino effectura eſt, niſi ſedem mali ſubeat; Quapropter longe excellentius celeriusque agunt pharmaca omnia, quibus, ideo, quod loco ipſi afflicto imponuntur, *topicis* nomen eſt, quoniam inter illa et cauſam mutandam nihil intercedit, quando medicamenta reliqua, ore ſumta, legibus circuli per longas ambages circumducta, et vi cordis demum ad locum patientem deuecta, plurimis interuenientibus circumſtantiis ab vltimo ſuo ſcopo auerti, et aliquam ſuae efficaciae partem, per ipſas corporis aegroti actiones, amittere poſſunt: In horum medicamentorum, quae *ad locos* dicuntur, numero, res omnes ſunt liquidae, quae vnum vel alterum ſinum corporis, in quo morbi ſedes eſt, ſubeunt et intimo aliquo cum cauſis ibidem haerentibus commercio iunguntur, quarum aliae explorandi, aliae autem ſanandi morbi cauſa, demitti in cauitates, mox naturales, mox praeternaturales aſſolent, nec facile canalis vllus in corpore eſt, cuius perluendi atque vires medicamentoſas ad illum ducendi cauſa, liquidorum pharmacorum immiſſio-

immiſſiones inuentae haud fuerint. Aurium meatum externum ſubeunt humores, vim pharmaci habentes, atque vel illius ſordes eluunt, vel animalculum, quod irrepſit, enecant, vel dolores ſedant, vel organa roborant; [a]) Ad Narium ſinus liquidam admittimus materiam, atque eandem vel iniicimus vel ſua ſponte, inhalando, ſubire ſinimus, quando excitandus, vel reficiendus aeger, vel peregrina aliqua res abſumenda et polypus deſiccandus eſt, quem culter auferre nequit; [b]) Os et fauces liquidum medicamentum frequenter in ſe recipiunt, ſi inflammatum aliquid in illis, ſi tumor, ſi vlcus eſt; quae partes ſolae medicamentorum formulam proprio nomine inſignitam habent, vt gargariſma a gargareone dicatur omnis liquor, qui oris eluendi cauſa ſumitur, quando reliquorum liquidorum curationis cauſa iniectorum nomina nihil conſtantis et perpetui habent: Etiamſi enim pharmacum fluens, quod palpebris, ad varias oculorum affectiones ſanandas, ſubiicitur, CELSO, et nunc plerisque, collyrium appelletur; Vaga tamen iſta eſt notio, atque tam de liquidis, quam de ſolidis pharmacis, ad varia corporum caua demiſſis, vſurpatur, habenturque apud Veteres colluria vel collyria, ad aures, ad nares, ad fiſtulas, ad matricem. [c]) Similiter clysmus aut clyſter, etiamſi, pro recepto inter plures loquendi modo, terminus ille medicamentum liquidum ſedi immittendum ſignificat, vagum valorem habet, et de omni pharmaco variis canalibus corporis infundendo accipitur. Eſt enim aliquis clyſter vterinus, cuius frequentem in hac ſcriptione mentionem facturus ſum; Sunt etiam clyſteres ad venas, et ſuperiori ſeculo, cum temerarii quidam per Angliam et Italiam medici, medicamenta, ipſumque ſanguinem brutorum in venam hominis

a) Ὠτεγχύται ſunt auricularia inſtrumenta, quibus medicamenta in aures inſtillantur, GALENVS *de Compoſ. Medicam. ſecundum locos.* CELSVS Libr. 6. c. 7. ſtrigilem et auricularium clyſterem vocat.

b) GALENVS *de Medicamentorum Compoſitionibus ſecundum locos* Libr. 3. Collyrium ex malis punicis ad narium polypos deſcribit et ibidem collyria de glaucio et croco, naribus inſtillanda, praecipit.

c) Confer. *Anutii* FOESII Oeconomiam Hippocratis, ſub hac voce.

minis aegroti infundere auderent, ars iſta, Chirurgia Infuſoria d) et clysmatica noua e) cognominata fuit.

§. II.

De liquoribus medicatis in matricem mittendis et Enemate vterino in genere

Similiter, quando de pharmacis liquidis in partes vtero connexas, vel in ipſum vterum mittendis ſermo nunc eſt, vix occurrit vlla vox, qua omnes liquores huic organo infundendos comprehendere vel, vnice, de matrice per fluidam materiam inductam ſananda, vſurpari poſſint et ſoleant. Neque enim clyſteris notio ſatis facit, vtpote qua, materies inſtrumento adacta et interiora verſus propulſa indicitur, in vterorum autem curatione multae res, halituoſae, fumoſae, ſponte ſubeuntes, medicamenti loco eſſe poſſunt, ipſaque balnea in ordine ſunt iuuantium quibus matrices in variis neceſſitatibus non leue auxilium accipere ſolent Neque lotionis vox omni materiae, quae vteris aliquo morbo affectis admouetur, reſpondet, cum et fumi in ordine pharmacorum, matricem foris iuuantium, habeantur. f) Meditanti igitur mihi multumque cogitanti, ſi qua eſſet notio, ſuum ſignificatum ad omnem matricis per fluida immiſſa curationem extendens, ſiue vndoſis, ſiue vaporoſis, ſiue fumoſis, ſiue et vnguinoſis pharmacis illa peragatur, in mentem venit Enema, ἀπὸ τȣ̃ ἐνιέναι, ab immiſſione quacumuis praedicari poſſe. Etiamſi ergo receptum vulgari vſu eſt Enema medicamentum dici liquidum, quod ſedi infunditur, attamen, cum etymologia reſpondeat, neminem

d) *Ioannis Danielis* MAIORIS prodromus inuentae a ſe chirurgiae infuſoriae ſiue, quo pacto agonizantes quidam, pro deploratis habiti, ſeruari aliquandiu poſſint infuſo in ſectam venam peculiari liquore. Lipſiae 1664. 4.

e) *Iohann. Sigismund.* ELSHOLTZII Clyſmatica noua, ſiue ratio, qua in venam ſectam medicamenta immitti poſſunt, vt eodem modo, ac, ſi per os aſſumpta fuiſſent, operentur, addita etiam, omnibus ſeculis iuaudita ſanguinis transfuſione; Editio ſecunda variis experimentis per germaniam, angliam, gallias atque Italiam factis, nec non Iconibus aliquot illuſtrata. Coloniae Brandenburgicae 1667. 8.

f) Ad ea, quae vteris immitti poſſunt reduces facile ſuffumigia, quae mille modis parare poteris; quae magis probo, conficiuntur ex maſtiche, pice, thure, ladano. *Ludouicus* MERCATVS *de Mulierum affectibus* Libr. 1. c. 7.

minem fore arbitror, qui me criminabitur, quod ſi, literali vocis huius ſignificatu accepto, res liquidas, in quarum numero et fumus eſt, muliebribus admittendas et ad ſanationem iſtarum partium commodas Enematis vterini titulo inſigniuero. In verbis enim, veluti in prouerbio eſt, poterimus eſſe faciles, dummodo in re conueniamus.

§. III.

De materia ad Enema vterinum apta.

Quandoquidem muliebria organa, nerueam potiſſimum fabricam indepta, et membranis ſenſu exquiſitiſſimo praeditis contexta ſunt, proinde opus eſt, vt materia illis immittenda, teneritati fabricae reſpondeat, ſitque mitis, mollis, blanda, nec quidquam in ſe habeat, quod partes iſtas offendere poſſit. Qua de te, ad imitationem proponenda ſunt neutiquam pharmaca illa acriora, quae leguntur apud HIPPOCRATEM, *de morbis mulierum libro altero* quibus, eo tempore, audaciores medici fuerunt vſi, cum, poſt alias res mordaces et aſperas, excitandi fluxus menſium cauſa, ſub peſſarii liquidioris ſpecie, cantharidas iniicerent, id quod ſane bene cedere non potuit, quare etiam medicamenta, quae aeſtum ab iſto veneno intra muliebria ortum extinguerent, vna proponuntur; ſed euitanda ſunt omnia efficaciora pharmaca, quae vtrumque vteri os et internam nerueam ſinus muliebris tunicam vulnerare et incendere poterunt, atque ex illis, quae vni vel alteri de morbis vterinis medicamento aliquo locali ſanandis conueniunt, ſeligenda erunt mitiſſima. Datur enim inter varias res ſalubres optio, vt, veluti in omnibus morborum ſanationibus, ita quoque in his, de quibus nunc ſermo eſt, liceat nobis ſelectum inſtituere ex multis, et mitiora praeferre aſperioribus, quae, qualia ſint, aut eſſe poſſint, ac eſſe debeant, ex ipſa aegritudinum matricis indole intelligi deinde poterit. Quod autem conſiſtentiam iſtius materiae ad medicinam vteri localem aptae concernit, illam ſaltem nunc propono, quae fluida eſt, pinguis, aquoſa, vaporoſa, fumoſa, ſiquidem de enematibus, qua voce liquida tantum cauitatibus immittenda indici ſolent, ali-

qua

qua conſcripturus, data opera attingere nolui ea, quae graecis *proſtheta* aut peſſaria dicuntur, ſiue, quod illorum minorem, ſi a prolapſu ſic dicto vteri diſcedas, vtilitatem eſſe arbitratus fuerim, ſiue, quod anguſtos huic ſcriptioni academicae limites voluerim conſtituere. Si quae ergo res liquidae, ſanationis cauſa, oſtiis vteri, vel ipſi quandoque matricis cauitati, ſi puerpera mulier eſt, immittuntur, debent eſſe ex ſimplicioribus: Veteres lacte et aqua ſimplici, vſi fuerunt, [g]) aliquando etiam marina, vario herbarum apparatu coctis, quorum halitu partes fouerent, easdemque mox adſtringerent, mox iterum mollirent, aut alias mutationes in illis procurarent: Magna caeteroquin fumorum medicatorum omni aeuo fuit vtilitas, quos fragrantiores eſſe, ad vterorum medicinam, debere, [h]) ideo, quod vterum animal eſſe iucundi odoris cupidum putarent, veteres fuerunt arbitrati. Hos odores plurimi recentium magni quoque faciunt, praeter LANCISIVM [i]) qui, illos foeminis, ſub lochiorum fluxu, exitiales eſſe, pronunciauit.

§. IV.

De inſtrumentis Enemati vterino aptis.

Aliquae res medicae ſua ſponte ad matricis oſtia procedunt, vel ad ipſam matricem, ſi poſt partum patentior eius apertura interior fuerit, abeunt, vti fumus et vapor vel balneum, dicam enim deinde, qualis horum omnium vſus eſſe poſſit. Aliae autem inſtrumentis adiguntur; haec *μητρεγχύται* Graecis dictae fuerunt, *ἀπὸ τοῦ εἰς τὰς μήτρας ἐγχέειν*, qua voce et PAVLVS AEGINETA, et GALENVS, et vetus autor MOSCHION paſſim vti ſolent, et qua recentiores etiam frequenter vtuntur: Cum autem

 tem

g) Lac equinum pro clyſtere vterino commendat HIPPOCRATES *Libro de his, quae vterum non gerunt.*
Balnea ſimplicis aquae reliquis praefert HIPPOCR. *de ratione Victus acutorum*, quae etiam laudantur in E. N. C. Cent. 3. et 9. pag. 248. ſeqq.

h) Pudendis ſuffitum ex gratis, naribus vero ex odoratis adhibeto. HIPPOCRATES, *de his, quae vterum non gerunt*, *Libro.*

i) Lochia odorum olfactu continuo introrſum rcuocantur, ad cor enim ſubito reſiliunt et ad cerebrum adſcendunt, atque vtrobique lethiferam ſtationem inducunt. IO. MARIA LANCISIVS *de ſubit. mortibus Lib. 1. c. 19. §. 15. p. 120.*

tem tam vndoſa, quam vaporoſa, quam fumoſa ſint, quae matricibus admouentur, pro haram quoque rerum varietate inſtrumentis opus eſt aliis atque aliis: Clyſterem appellat HIPPOCRATES [k]) ſiphonem, quo liquida immittenda ſunt, atque idem, cum conſultum duceret, vapores per ſinum muliebrem admittere, apparatum, qui huic iniectioni commodus eſſet, deſcripſit. [l]) Pro fumis admittendis infundibulum eſt apud ROCHAEVM, [m]) quod HEISTERVS quoque delineat, [n]) et vſum declarat. [o]) A diuerſa

k) Clyſteris ſumma pars ad inſtar ſpecilli, ex argento confecta ſit, ſupra quam, interiecto paruo ſpatio, foramen perforetur. Sint autem et alia foramina, hinc et inde ſingula, aequaliter diſtantia ab inuicem ex obliqua clyſteris parte, aequalia ſingula, non magna, ſed anguſta: Clyſteris quidem ſummus apex ſolidus eſto, at reliquum totum cauum veluti fiſtula, cui, ſuis foeminae veſica, aqua calida ſprobe illita, et madefacta, alliganda. Vbi eam alligaueris, infuſo in veſicam lacte, (ἐς τὰς μήτρας ἐνθὲς ῥάκος λεπτῆς ὀθόνης. *Foeſius vertit, in foramina tenue linteum indito*, quod non reſpondet, ad literam ſi vertas, melius ita erit,) in matrices (oſtium matricis externum) ingerens laciniam tenuis lintei, ne lac effluat, poſtquam clauſeris veſicam, alligatam, mulieri ipſi, quam lauaturus es, exhibeto. Illa vero ipſa, accipiens inſtrumentum in matricem indat. Noſcet autem ipſa, vbi indere oporteat. Deinde veſicam manu comprimito. HIPPOCR. *Libro, de his, quae vterum non gerunt.*

l) Singularem vteros fouendi, cum menſes haud fluunt, modum deſcripſit HIPPOCRATES *de Morbis Mulierum Libr. 2.* qui in eo conſiſtit, vt aquae ebullientis vapor ex olla ſuper carbones ardentes conſtituta, per cannulam muliebribus inſertam ad os vteri internum admitteretur, eius emolliendi cauſa; ad quam rem fomentum ex foeniculi radicibus coquendum conſulit.

m) Seminis viticis, anethi, coſti, terantur parum, et per infundibulum mulier fumum, veſtibus tecta ſedens, recipiat. *Nicolaus* ROCHEVS *de morbis mulierum curandis cap. 3.* Suffitibus etiam, ex ſtyrace, galbano, thure, bdellio, radice ariſtolochiae, artemiſia, nigella, caryophyllis, cinamomo, paratis, vtendum erit.

n) *Illuſtris Laurentius* HEISTER *Inſtit. Chirurg. Tab. XXXIV. Fig. 14.* deſcribit tubulum quo ſuffimenta ad vterum mittuntur. Aliam Iconem vide apud eundem *Inſtit. Chirurg. 4. Tab. VI Fig. 12. 13.*

o) Interim longe optimum erit, herbis roborantibus digerentibus aromaticis atque adſtringentibus cum vino, praeſertim rubro, decoctis, vel et aqua calcis, cum ſpiritu vini mixta diligentiſſime partes naturales fouere, identidem autem ſuffimenta valentia eiusmodi, e maſtiche, olibano, myrrha, ſuccino, ſimilibusque rebus aliis, *tubuli ad id accommodati, infundibulique* ſubſidio, in vuluam immittere. *Laurentius* HEISTERVS *Inſtit. Chirurg. p. 2. Sect. V. Cap. 158. de Prolapſu vteri:*

uerſa medicamentum immittendi ratione ipſa quoque ſanatio aliter aliterque appellata fuit, praeterquam enim, quod HIPPOCRATES vterinas lotiones quoque *Collyria* appellauit, p) aliquae ſingulares occurrunt voces, quae ſpecialius, iniectiones vterinas, morbi cauſa, denotant. Encathiſmos enim, quorum frequens deinde mentio inducenda eſt, vocabant, inſeſſus, *ἀπὸ τȣ̃ ἐγκαθίζειν*, ab inſidendo, cum mulier veſtibus circum crura arcte adductis vel vapores vel fumos admitteret: Quoniam autem *κόλπος* ſinum muliebrem denotat, proinde *ἐγκολπίζειν*, rem liquidam in illum infundere, ipſe autem medicationis huius modus, *ἐγκολπισμὸς* q) appellatus eſt.

§. V.

De laxitate viarum muliebrium enemate ſtringenda.

Quando igitur ad rem ipſam deueniendum atque diſpiciendum eſt, quibus mulierum affectionibus enemata vterina adplicare opportunum ſit, de *ſolidis*, quae matricem attinent, mutatis, ſuoque naturali ſtatui iterum reſtituendis, primo loco agendum eſſe intelligo. Illa quidem, quorum texturam et formam tanquam cognitam ſuppono, vel laxitate, vel ſtrictura, vel tumoribus praeter naturam a liquidorum vitioſa congeſtione ortis, male habentur, atque tam ipſius organi ineptitudinem, quam totius corporis labem vna afferunt; fibrae animatae, tum alibi, cum in viis quoque muliebribus, illam, qua ſecundum naturam pollere debent, elaſticitatem, tam *mechanicam*, quam *vitalem*, amittere, propter varias cauſas, poſſunt, quarum aliae ad vterum vacuum, aliae ad eundem, veluti a partu aliquas mutationes paſſus fuit, reuertuntur.

 Matricis

p) Collyrium proprie lotio dicitur, qua varia oculorum vitia curamus, veluti eſt apud CELSVM *Libr. 6. cap. 6.* qui tamen etiam fiſtularum collyria habet. Colluria matricum HIPPOCRATES habet *Libr. 1.* de *Morbis Mulierum.*

q) In vulnere matricis recenti ac ſordido, ſeu vlcere, *ἐγκολπίζειν* aut in ſinum muliebrem medicamenta demittere ſuadet MOSCHION *Harmonia gynaeciorum Tom. I. p. 78.*, ſuccum ptiſanae cum abundanti melle.
Encolpiſmus, *ἐγκολπισμὸς* MOSCHIONI, *adducto loco*, dicitur vnguentum in ſinum muliebrem demiſſum, quod ex irino et cyprino oleo confectum, in vteri inflammationibus, fuit.

Matricis aditus aliquando laxior eſt, quam natura poſtulat; ipſa quoque muliebris vagina, a ſubſtrata ſibi muſculari tunica ſaepe recedit, hinc fluctuat, ſinum pudoris implet, et ex illo quandoque prominet, quod, falſo quidem, prolapſum vteri aliqui nominant, ſiquidem ille, niſi cum fundus eius, placenta vterina tenacius adhaerente, et violenter reuulſa, in oſtium vteri eductus fuit, euerti eo vſque, ſua ſponte, vt propendeat, omnino nequit. Poteſt tamen eiusdem oſtium internum, laxatis vinculis, quae matricem tenent, iisque per violentum partum infirmatis, deleta omni vaginae longitudine, deſcendere, atque inter oſtii externi margines propendere; quorum quidem omnium cauſas et effectus morboſos euoluere nunc nolo, medicamenta tantum iſtis mutationibus idonea, veluti illa in applicatis loco affecto idoneis externis pharmacis conſiſtunt, expoſiturus: Igitur, quod laxius vteri oſtium externum attinet, cui, etiam penes virgines illibatae caſtitatis, ob haemorrhagias aut acres ſuccos defluentes, et ex matricis catarrho, maior amplitudo eſſe quandoque poteſt, conſultum erit, demittere in ſinum pudoris aut illi foris applicare remedia, quae tonum mechanicum huius organi obfirmare, adſtringendo roborandoque, poſſint. [r]) Nec aliud quidem conſilium opportunius eſt, quando reuulſa a ſuis parietibus ſinus muliebris interna tunica eſt, [s]) ſique id, quod elapſum eſt, eroſum ac detritum aut ab vrinis exeſum fuit,

r) De modo coarctandi matricem, vt, etiam corrupta, appareat Virgo: Ex EROTE *de Paſſionibus Mulierum* apud *Harmoniam gynaeciorum Tom. I. p. 3.* Niſi de reſtrictione amplitudinis muliebrium, propter honeſtam cauſam, nobis liceret agere, nullam de ea mentionem faceremus. Sed cum per hanc impediatur quandoque conceptio, neceſſe eſt, tali impedimento ſic ſubuenire. Recipe gallarum, ſumach, plantaginis, conſolidae maioris, aluminis, cimoliae (quae terta ex macrarum hinc adſtringentium numero eſt) vnciam vnam, decoquantur in aqua pluuiali et cum iſta decoctione fomententur pudenda.

s) Ad deſcenſum vteri PAVLVS *Aegineta* ita conſulit: Mulier, lana ſinui impoſita, in vinum atrum et auſterum deſcendat aliquantulum tepefactum decoctione myrti, ſiue iunci odorati rotundi et mali corii (quod granati ſeu punici mali exterior cortex eſt).
Ad exitum matricis poſt partum: Recipe artemiſiae, iuniperi, abſinthii; camphorae, decoquantur in aqua et fiat balneum: EROTIS *de Paſſione Mulierum,* exrat in *Harmonia gynaeciorum* Tom. I. p. 107.

fuit, [t]) dummodo ea, quae cauſam internam morbi attinent, praemiſſa vel coniuncta fuerint conuenient quoque, foris, antiphlogiſtica. [u]) Aſt, ſi metuendum eſt, ne ab applicatis tumori liquidis, eius laxitas augeatur, audiendum quoque veterum de vaporibus [x]) et ſuffimigiis ad muliebria mittendis, conſilium eſſe, arbitror.

§. VI.

De fluxionibus ſanguineis vteri, ante partum, a laxitate vaſorum ortis, remedio adſtringente externo ſanandis.

Fluxiones varias a debilitate extremorum vaſorum liquida fundentium, atque ab illorum elaſticitate imminuta paſſim in corpore prouenire, pathologia docet: Nouimus enim, aliquando obuenire ſudores, nulla cordis atque arteriarum vi motos, quos propterea ſyncopticos nominamus, vtpote a ſyncopa, quae fibrarum vitalium a motoris defectu orta ſolutio eſt, procedentes: Nec minus conſtat, aluinas fluxiones, nullo motu critico, nullo ſtimulo inductas, ſubinde increbeſcere; ſimiliter vrina, aliter quam illa alba ſpaſtica, quae robur auctum ſupponit, in diabete, qui debilitatem tubulorum renalium in ſe comprehendit, fluere ſolet, cruda alba, copioſa, et aegrotum celeriter deiiciens. Illud igitur ipſum, quoque euenit foeminis, quo illae, ſola vaſorum, quae et venae et arteriae eſſe poſſunt, ſolutione, haemorrhagias vteri experiantur enormes, quibus denique id efficitur, vt, etiamſi fluxus ſedatus fuit, grauiſſima tamen mala, cacochymia, oedemata, ipſaque demum leucophlegmatia, ſuperueniant: Enimuero,

t) Si vteri extra naturam prodierint, calor igneus praecipue quidem pudenda et ſedem tenet, vrinaque ſtridet et mordet. Cum ſic habuerit, myrti baccis et loti ramentis ex aqua decoctis, aquam ſereno coelo per noctem expoſitam, quam frigidiſſimam, in pudenda infundat, et quae foris ſunt, vino nigro, in quo mali punici putamen decoctum ſit, repurgato. HIPPOCRATES, *de his quae vterum non gerunt*, *Libro.*

u) De caſu matricis, ſeu eius procidentia, Ex MOSCHIONE *Harmonia Gynaeciorum* Tom. I. pag. 77. Conſilium: Si elapſae parti feruor acceſſerit, encathiſma ex aqua, in qua decocta ſint lentiſcus, myrtus, mali corium, folium rorismarini cum gallis:

x) De matricis in inguen infuſione *Caſpar.* WOLPHIVS *Gynaec. Harmonia Tom I.* ex *Priſciano* et *Cleopatr.* Si in inguen matrix infuſa fuerit, ad matricem appone male olentes ſuffumigationes, vsque dum reponatur.

uero, eiusmodi fluxiones a debilitate oriri, illud non obſtat, quod, ſub ipſis iſtis fluxionibus, cordis palpitationes adſint, adeo feroces, vt manu quoque extus admota illas tactu percipere poſſimus, namque palpitationes cordis a κενεαγγείᾳ atque ab inſufficiente ventriculorum cordis per ſanguinem impletione oriri quoque poſſe, in aprico eſt poſitum, et pulſus, ſub ipſis his palpitationibus tenuitas ac frequentia iſtud ſatis ſuperque indicat. Cognouit hoc HIPPOCRATES et fluxiones aliquas inducit a debilitate matricis atque a dehiſcente vteri oſtio natas, quod ita quoque eſſe, grumi ſanguinis, antea ex vaſorum extremis in matricis cauitatem effuſi, nunc a mora in rem carni vel hepati ſimilem compacti, oſtendunt. Etiamſi ergo ad fontem mali omnino recurrere et internis remediis vti, opportunum eſt, a quorum, vtpote ad ſcopum meum praeſentem haud pertinentium, enarratione nunc abſtineo; attamen, cum in hoc caſu, ex ſymptomatis vrgentis indole, ad indicationem palliatiuam deueniendum eſt, rationes adſunt haud paucae, propter quas, ad fotus, [y]) et quodſi ex vulnere ſanguis ruber, id eſt arterioſus [z]) vel ex ſarcomate [a]) fluat, ad clyſteres

y) Vteri ore praeter naturam dehiſcente, menſes copioſiores et humidiores, quam conuenit, defluunt, haec autem tum corpore tum vtero male affecto eueniunt: Totum corpus vteroſque aceto et aqua marina fouere oportet, lapillis ignitis iniectis. In fomentum autem iniicienda cupreſſi ramenta et lauri viridis folia contuſa: Antea vero, priusquam lauet, ſuffitus ex myrrha et thure adhibendus: HIPPOCRATES *de his, quae vterum non gerunt, Libro.*
Cum, praeter ſanguinis vitium, etiam ex vteri anaſtomoſi aut diapedeſi ſanguis profluit, peculiaris vteri prouidentia habenda eſt, iis, quae venarum oſcula et poros comprimere poſſint, ſiue ab vteri ceruice ſiue ab ipſo vtero ſanguis profluat. Immittere primo in vterum per metrenchytam poteris vinum dulce cum cortice mali granati decoctum, ſuccum etiam ſanguinariae, plantaginis, conſolidae maioris, cui conſimilem virtutem praeſtat ſuccus burſae paſtoris in vterum iniectus. *Ludouicus* MERCATVS *de Mulierum Affectibus* Libr. I. c. 7. Laudat etiam gummi arabicum et vulgare, aqua plantaginis ſolutum, eundem in finem.

z) Si ſanguis intenſe floridus ſeu magis coccineus et ex rubro ad flauum colorem inclinans, emanat, re vera indicium eſt, quod immediate ex arteriis euacuetur. Periculoſus igitur eſt, ſi arterioſus effluit, ſanguis ETTMVLL. *Colleg. Pract. Sect. 8. Cap. 2. artic. 2.*

a) *Frid.* HOFFMANNVS Opp. omn. Tom. IV. p. 301. vult in enormi haemorrhagia vteri, cum fungoſa in vagina excreſcentia, decocti adſtringentis iniectio-

ſteres vterinos ex herbis adſtringentibus coctos, atque ad ſuffumigia [b]) ex ſuaueolentibus arborum lachrymis confecta, confugiendum ſit. Non autem veteribus tantum hoc ita viſum eſt, ſed et recentiores in hanc ſententiam abeunt, robur vaſis vteri, ſanguinem vberiorem fundentibus reddendum eſſe, admotis matricis oſtio rebus, quae, applicatae, elaſticitatem amiſſam huic organo reddere poſſint. [c]) Id quod, quomodo a fumis fragrantioribus effici valeat, vt ſanguifluis vaſis amiſſum robur reſtituatur, ex ipſa fumi indole apparet, vtpote, qui, docentibus oleis ſalibusque volatilibus ex fuligine prolectis, nihil quidquam eſt aliud, quam oleum vegetabile aethereum, in tenuiſſimas particulas diſperſum, quibus propterea, reſpectu huius ſuae tenuitatis, integrum eſt, vaſa minima ſubire, iisque amiſſum tonum reddere, veluti, tacente etiam ratione, vſus docet, qui argumento eſt, ad infirmitatem aliarum quoque partium mutandam, ſumigiis et pannis, fumo aromatico perfuſis, nihil eſſe efficacius: Omnium autem maxime hoc ita efficiendum videtur eſſe, cum ſanguis, de vtero grauido fluens, propinquum abortum indicat, vt aliqua re analeptica, maxime fumis aromaticis, vterus corroboretur, impediaturque, ne, quae iam dehiſcere coepit ſecunda, plenarium faciat diuortium, etiamſi in eius modi externis auxiliis, ſolis, ſalus eſſe nequeat, ſed his interna, quae ſanguinis impetum refraenare poſſint, ſint ad latus ponenda.

§. VII.

iniectionem continuari. Hinc κλυσμὸς κρατυντήριος Clyſter vterinus roborans ex mali corio et vino rubro coctus. HIPPOCRATES *de Morbis Mulierum* Libr. I.

b) In menſium copioſiore fluxu ita habet HIPPOCRATES. Cum plus aequo aperti et minime occluſi fuerint vteri, clyſteribus et ſuffitibus indigent. *de Morbis Mulierum* Libr. 2. Suffienda ea ſunt, quae ſiccant.

c) *Andreas* PASTA de fluxu ſanguinis ex vtero foeminarum grauidarum: Bergami 1751. 8. p. 93. Fumos vtero ſanguinem fundenti admittendos eſſe ſuadet. In conſuetudine, ait, habent quidam Autores ſuffire vterum mulieris, iubentque eam ſedere ſuisque veſtibus bene operiri, vt fumos variae materiae adſtringentis carbonibus ardentibus iniectae excipere poſſit. Aliqui volunt, ſanguinem ipſum, cum fluit, ſuper laminam eximie candentem deſtillare, quo fumus virtute ferri tinctus adſcendat. Multum autem cautelae opus eſt ad medicamentum illud cum vtilitate percipiendum, ſiquidem plus refert laxata vteri vaſa roborantibus obfirmare, quam eadem adſtringentibus claudere, niſi notabilis ruptura vel apertura illorum fuerit.

§. VII.

De anaſtomoſi vaſorum ſanguiferorum matricis febrili, iniectionibus ſananda.

Aliquando, per vim ſanguinis arterioſi a tergo irruentis, atque a motu circulatorio aucto, ſanguinis immanis deſcendit quantitas et haemorrhagia vterina oboritur: Scilicet euenire poteſt, ſoletque, quo, ob vim febris, ob motum ſanguinis auctum, a victu calido, ab vſu ſpirituaſcentis potus, aut a medicamentorum acriorum intemperantia, ſanguinis maior copia, cordis atque arteriarum motu increbeſcente, ad vaſa vteri compellatur, tantaque ſanguinis erumpat quantitas, vt nec venaeſectiones ſolae, nec antiphlogiſticorum internorum vſus ſolus, reſtinguendae fluxioni ſufficiant; Tunc ſane conſultum eſſe praeſtantiſſimi autores duxerunt, quo illa pharmaca adhibeantur foris, quibus ſingulare aliquod imperium eſt in fibram, impetum liquidi ſuperare tunc haud valentem, et relatiue propterea debilem appellandam, quando, in ſuperioribus caſibus haemorrhagiae vterinae, abſolute debilis et omnino paralytica fibra eſſet. Quare contraria quoque medicina vtendum et robur addendum fibris eſt vſu eorum, quae cum roborant, veluti frigida quaeuis, tam ea, quae potentia [d]) quam, quae actu [e]) talia ſunt, tum ſtringunt et oſcula venarum vterinarum claudunt, [f]) quas eo maxime tempore apertas eſſe, ex colore ſanguinis fluentis venoſo, nec tam rubeſcente, quam nigricante, iudicare integrum eſt. Imo vero, cum in praeſenti fluxus caſu, quando febris acceſſit,

d) *Andreas* PASTA l. c. p. 93. balneis tepidis adhibendum eſſe conſulit nitrum, tunc maxime, cum conſtat, fluxum ſanguinis a celeritate, per vim arterioſam auctam orta, proceſſiſſe. Damnat autem vſum balneorum ſaponatorum, metu, ne ſtimulus exinde natus celeritatem augeat.

e) *Rodericus* a CASTRO in fluxibus vteri periculoſis aqua frigida vtitur. *de Morbis Mulierum L. 4. cap. 10.*
RHASES *ad Manſorem. Libr. 1. cap. 33.* foeminam fluxu ſanguinis laborantem demergit in ſemicupium aquae frigidae.
Andreas CAESALPINVS Artis Medicae Part. 2. Libr. 8. c. 21. p. 464. in fluxibus vteri ſanguineis aquae frigidae vſum ſub balneo conſulit, immerſionem tamen breuis durationis eſſe vult, ne coagulum exinde oriatur, quod ipſo morbo peius foret.

f) GALENVS *Libr. 5. method. med. c. 5.* fluente ſanguine iniicit vtero ſuccum plantaginis.

ceſſit, ad calorem auctum ſibi reſpiciendum eſſe, autores cenſerent, ipſis quoque lotionibus antiphlogiſtica addenda eſſe, fuerunt arbitrati, ideoque ad aeſtum matricis refraenandum atque ad febrem eius particularem mitigandam, anodynis ſuccis, pro iniectione fuerunt vſi. [g])

§. VIII.

De anaſtomoſi vaſorum ſanguiferorum a retentis in vtero poſt partum rebus, quae claudi vaſa non ſinunt.

Aliquando maior, quam vires mulieris ferunt, ſanguinis copia, ex matricibus fluit, cum illae paulo ante foetus emiſerunt, atque in ſeſe penitus contractae [h]) nondum fuerunt, quapropter non poteſt non in cauum vteri deſcendere et magna vi erumpere ille ipſe ſanguis, qui hactenus, per adhaerentia fundo matricis venoſa ſecundae oſcula in placentam vterinam, et ex ea, interueniente vena vmbilicali, ad foetum progreſſus fuerat: Sanguini, qui neceſſario ex vteris puerperarum fluit, Lochiis nomen eſſe, nemo neſcit, etiamſi ille ſincerus ſemper haud eſt, ſed variis aliis rebus ex partu reſiduis miſcetur, ita quidem, vt duplici intuitu, et ſanguinis reſidui neceſſario educendi, et remanentis cuiusdam peregrinae rei reſpectu, ad purgandos vteros animus aduertendus ſit medentibus. Poteſt autem aliquando fluxio ſanguinis poſt partum non eſſe nimia, etiamſi talis videatur. Veluti enim foeminae natura tenues et exſangues in fluxibus lochiorum, etiam ſine morbo, parciores eſſe ſolent, ita haud paucae, non minus ſine aegritudine, aliquando etiam per ſpeciem motus critici, in fundendo poſt partum ſanguine liberaliores eſſe poſſunt, vt in ſtatu aliquo haemorrhagico colliquatiuo eſſe propterea videantur: Neutiquam autem primae apparitioni fidendum, et ad adſtringen-

 tium

g) PAVLVS in fluxu Menſium nimio per Metrenchytam (Inſtrumentum ad eam rem factum) ſuccum plantaginis, aut ſtrychni (quod ſolani ſpecies interque ſtupefactiua eſt remedia) aut pſyllii aut hypociſtidis aut acaciae ſuccum infundere iuſſit.

h) Celer eſt vteri in ſeſe contractio. *Regnerus* DE GRAAF ſedecim circiter dierum ſpatio ad priſtinam fere magnitudinem vterum recurrere, affirmat. *de mulier. organis cap. 8.*

tium vſum confugiendum ſtatim eſt: *Millenae foeminae,* ait *Illuſtris* HALLERVS[i]) *ex lochiis ſuppreſſis pereunt, ſi vna ex haemorrhagia nimia a partu perit,* nec dubium eſt, nocitura eſſe, lotiones, vapores, epithemata, quibus multi ſanguinem iſtum, nimium fluere ſibi viſum, derepente, magna ſane cum puerperarum noxa, ſupprimere aſſolent, quos ſcire oportebat, foeminas ſanguine bono turgidas, easque, quibus vterus a grandiore foetu et a ſpatioſis ſecundinis, atque ab vberioribus chorii amniique aquis valde diſtentus fuerat, maiorem, etiam ſecundum naturam, ſanguinis vim deiicere, ſiquidem ante, quam ſubſtantia parietum vteri celluloſa exinanita, et venae, quae grauidis vehementer intumeſcunt, et fere varicoſae ſunt, penitus in ſe reſtrictae fuerint, cruor ex vtero manare non deſinit. Deinde quoque euenit, quo haemorrhagia grauidarum euacuationis criticae officio fungatur et febrem lochialem infringat, impediatque, quo minus illa in ſchema inflammatorium tranſire poſſit, qua intercepta non poſſit non oriri phlogoſis, quae in viſcere matricis ſpongioſo in malam rem non poteſt non vergere. Proinde, non niſi tunc, de ſiſtendo ſanguine, ſollicitos eſſe medicos oportet, quando ſigna exinanitionis ex ſpasmis abinde ortis in foemina conſpiciunt, quo tempore, tentatis antea iis, quae intus, ex indicatione cauſali, hunc in finem accipi poſſunt, ad efficaciora aliqua ſtegnotica[k]) foris applicanda, confugiendum eſſe, autores arbitrantur. Verum inanis ille labor futurus eſt, quodſi ſuperſtes aliquod intra matricem corpus fuerit peregrinum, quod matricem in ſeſe et ad ſuam priſtinam paruitatem reuerti non ſinit. Quamdiu enim in notabili aliqua extenſione, propter ſecundinarum reliquias, vterus permanſerit, aperta quoque manent iſta oſcula, ex quibus, poſt partum, ſanguis fluere ſolet. Quapropter auferendum ſubito omne illud eſt, quod contractionem matricis et clauſuram lacunarum ſangui-

i) In Praelect. Academ. BOERH. *de Concept. text. 686. v. Dimiſſis. not. 1.*

k) Suffumigium ſtegnoticum ad fluxum proponit *Harmonia Gynaeciorum* p. 71. Lycium ſuper carbones pones in vaſe: (Eſt autem Lycium ſuccus auſterus adſtringens, ſimilis omphacio aut hypocyſtidis ſucco) et mulier deſuper ſedeat, vt fumum in matricem recipiat.

ſanguinem ſtillantium impedire poteſt. Etiamſi autem heterogenea aliqua corpora cum foetu in vteris nata, quae molas appellant, redire in ſeſe partus officinam haud ſinant, euenire tamen ſolet frequentius, quo relicta placentae pars, quando illa, ob firmam cohaeſionem, a parietibus matricis abire noluit, ſuo volumine conſtrictionem eiusdem fieri decenter haud ſinat. Fit igitur, quo ſanguis, vel qui in cellulis ſubſtantiam cauernoſam vteri efficientibus, vel, qui in venis, eo tempore valde diſtentis, ſupereſt, atque etiam ille, a tergo per arterias irruens, qui hactenus nutriendo foetui inſeruiuerat, in cauitatem nondum exacte deletam defluat, grumeſcat, et ſub thromborum ſpecie effluat, et puerperam eo vsque deiiciat, vt periculum mortis ſubſit, niſi obſtaculum contractionis vteri remoueatur, id quod ab imminente quoque abortu, dehiſcente ex parte placenta, fieri, ſupra propoſitum fuit. Etiamſi autem tunc manuali maxime opera, ſi recens partus fuit, vtendum eſt, et, quod abortum inter haemorrhagias, ex placenta mota, ortum ac porro haud euitandum concernit, etiamſi nulla nec interna nec externa auxilia tunc proficiunt; Attamen, quod ſecundinas a partu relictas attinet, alienum haud eſt externis vti pharmacis, quae conatus poſt partum leni aliquo ſtimulo excitare [l]) vel os vteri internum a ſpaſmo clauſum aperire valeant. Quodſi autem a placenta violentius abducta, ideoque ex vulnere, ſanguis arterioſus fluat, id quod color ru-

 beus

l) Ad partum promouendum et Iochia educenda conſulit HIPPOCRATES *de Morbis Mulierum* Libr. I. Eryſimum in aqua decoquito, et vbi efferbuerit, oleum affundito et refrigerato et ſuffitum exinde parato: Ex decocto foliorum ſambuci fomentum parato.
Ad ſecundinas contentas commendat Encathiſmata ex foliis et ſurculis allii, aut ex Chamaemelo et Chamaeacte, qui ſambucus humilis eſt, ſeu Ebulus. Praeterea ſuffitibus vtendum, decoctis in olla artemiſia, Iride, ſabina, pulegio, calamintha et ſimilibus, olla ſellae ſuppoſita, cui mulier, veſtimentis vndique circumſepta inſideat: Odoramenta iugiter ſuffienda ſunt, quae poſſint ſecundam ſubducere, ad quos vſus excellunt, cardamomum, bdellium, cum ſabina, thus, ſtyrax, ladanum, agallochum et huiusmodi. *Nicolaus* ROCHAEVS *de Morbis Mulierum curandis.*
Cortex pini per ſuffitum necat partus et prolicit ſecundas. DIOSC. Libr. I. cap. 114.

beus docet, et ardens dolor, quem foeminae eo tempore, in loco, cui placenta adhaeſerat, percipiunt, vna cum febre, illud haud latenter ſignificat; tunc ſane iniectionibus mucoſis, *de tragacantha, gummate arabico et ſimili re* confectis vtendum eſſe, arbitror.

§. IX.

De fluoribus mucoſis lotione continendis.

Menſes mucoſos [m]) appellauit HIPPOCRATES, pituitoſas vteri deſtillationes, quae ex cryptis mucoſis GRAFFII circa os vteri internum et in tota vagina muliebri reperiundis, contingunt; Illae mox ſolae ſunt, mox aliquam cum menſium ſanguineo fluxu viciſſitudinem habent, atque vel illum praecedunt, vel conſequuntur, aut eidem immiſcentur; ſaepe criticae ſunt, aliquando ex cachexia muliebri, tanquam cauſa ſua progerminant, ſuntque ſymptomaticae; Interdum vt morbus primarius ſiſtuntur; Quandoque ſimplex mucus eſt, aliquando acris et muliebria aliqua veluti intertrigine afficiens. Benignam fluxionem vocant, cum pituita viſcida ex fontibus ſuis copioſius in ſinum muliebrem deſtillat; aſt, maligna illa eſt, cum vel ſcorbutum, vel cauſam aliquam inhoneſtam, veneream, pro fundamento agnoſcit. Deinde illa, quam pituitoſam dicimus, vel chronica eſt, vel breuis, eaque vel periodica, quae ad lunares motus oritur, vel vaga, incerto tempore proueniens. Quaecunque autem illae fuerint, ſi a cauſa interna, diuerſam curationem poſtulante, receſſero, volunt munditiem, quam lotionibus, [n]) balneis, ſpongiis lacte plenis, procurare poſſumus. Abſint autem efficaciora adſtringentia, quorum vſu fluxio, quae plerumque critica eſt, cohiberi et grauioribus malis occaſio hinc ſuppeditari poſſet.

§. X.

m) καταμήνια φλεγματώδεα Menſes mucoſi HIPPOC. *de Morbis Mulierum* Lib. I.

n) In fluore albo mulierum, vteros colluit HIPPOCRATES. Quodſi, quae a collutione ſecedunt, pituitoſa feruntur, rurſus colluito trium aut quatuor dierum mora interpoſita: Poſtquam autem, quae ſecedunt his collutionibus expurgata fuerint, ſi quid cruenti, velut ab vlcere contigerit, acerbis deinde colluito. *de Morbis Mulierum Libr.* 2.

§. X.

De Fluxibus vterinis putridis lotione ſanandis.

Peius illud morbi genus eſt, quod in fluxu putridae ac foetidae materiae ex vteri varia regione procedentis, conſiſtit. Qua de re, ſi qua in genere monenda ſunt, animaduertendum hoc eſt, vlceribus eiusmodi inflammationem ſemper iunctam eſſe, vel vlcera ex aliqua vteri aut annexarum illi partium inflammatione, quae mature haud diſcuſſa fuit, naſci, cuius rei ſignum eſt, quando acris aliqua et rodens materia deſtillat ex muliebribus. [o]) Si autem de ſingulis vlcerum ſpeciebus ſermo habendus eſt, ex obſeruatis conſtat, aliqua ex illis ſolam matricis vaginam depaſcere, alia intra vteri ſubſtantiam nidulari. Suſpecta aliquando ſunt et ab inhoneſta cauſa, atque a contagio venereo oriuntur vlcera, quae ſinum mulieris perfodiunt, inque eius tunica glanduloſa feruntur, e quorum numero quoque iſta ſunt, quae in fiſtulas perinaei deſinunt, vel vicinam vrethram deuorant, quibus ſingulis, eiusmodi foris admouenda ſunt remedia, quae et munditiem procurare, [p]) et ſenſum doloris vel pruritus mitigare [q]) vel callum educere, nouamque et ſinceram carnem inducere [r]) poterunt. Aliquando etiam a partu difficili putridisque ſuccis ex matrice fluentibus externa muliebrium infici ſolent, [s]) cuius rei cauſa ſimili-

o) Si vteri ab vlceribus inflammantur, acutior morbus erit, et multa foetida et purulenta ex ipſis vteris egredientur, aliquando etiam inſtar loturae carnium: HIPPOCR. de Morb. Mulier. Libr. I.

p) Cum exulceratae matrices valde fuerint, ſanguis autem et pus expurgetur, et grauis odor fit, calida lauetur foemina et foueatur, et clyſter vterinus iniiciatur ex acrioribus et emollientibus et auſteris, aqua etiam et vino. HIPPOCR. *de Morbis Mulierum Libr. 1.*

q) Ad punctionem et pruritum matricis: *Harmonia Gynaeciorum* Tom. I. p. 75. Mulierem aqua marina tepefacta fouebis: Nitrum coctum cum lotio, in quo adiicies lapillos ardentes: Exinde fouebis: Frumentum vetus decoques in aqua, exinde fouebis.

r) *Nicolaus* ROCHAEVS de Morbis Mulierum curandis ſarcotica immittit Thus, aloen, myrrham ſarcocollam lacte vaccino cocta.

s) Si a partu infantis muliebria vlcus habent (ἄφθα), amygdalae terendae cumque bouis medulla coquendae ſunt: His muliebria vngenda ſunt et perluenda ſunt aqua myrtina. HIPPOCR. de Morbis Mulier. Libr. I. Exeunt putrida et purulenta, et abinde vlcera fiunt. HIPPOCRATES de Morbis Mulierum Libr. I.

Cum

ſimiliter, nec minus, cum cancer ſubſtantiam vteri deuaſtat, ea iniicienda ſunt pharmaca, quae effluentis materiae acredinem temperare, et morbum niſi ſanare, trahere tamen, et partes, quae adhuc ſanae ſunt, ſecuras praeſtare, poſſint. [t])

§. XI.

De purulentia e cauitate matricis proluenda.

Aſt frequentius euenit, quo illae res, quas poſt partum effluere oportet, ſanguis ſcilicet grumeſcens, et ſecundinarum relictae portiones vel membranae atque etiam peregrina aliqua corpora, quibus molis nomen eſt, cum os vteri internum a ſpaſmis clauſum vel fluxus lochiorum per alias cauſas antea adductas impeditus fuit, a calore vitali, eo tempore per febrim aucto, in pus malum, id eſt in materiam acrem foetidam, ex putreſcentium rerum fibris ſolutis coctam, conuertantur; Id quod equidem fieri aliter nequit, et conſultum quoque eſt fieri, ſiquidem iſta materies, ex putredine acredinem non leuem conſecuta, ſuo ſtimulo dolores poſt partum excitat, ſuaeque ipſius excretionis cauſa hoc ipſo efficitur: Veluti autem, quid ſub iſto lochiorum oppreſſorum ſtatu factu opus ſit, expoſitum iam fuit, ita, quid nunc, cum putrida fluunt lochia conſultum ſit facere, ſimiliter exponam. An lotiones in matricis cauitatem iniici poſſint, dubium quibusdam videri poſſet ideo, quod, ſi liquores iniecti, ſuperueniente ſpasmo, includerentur, metus ſit, ne illi, putreſcendo, malos ſuccos augeant. Enim vero tam parum hac de re metuendum eſt, vt potius in liquorum, acre pus diluere, putredinem autem ſupprimere valentium vſu, vnicum

Cum vlcera in matricibus ex abortu, vel alia de cauſa nata fuerunt, primum fouenda mulier eſt decocto foliorum Actes (Sambuci) deinde, poſt fotum, ſmegmate, ex vini faece colluito. Poſt hoc, vino meraco albo matricem luito. Clyſterem in os vteri iniicito: HIPPOCRATES *de Morbis Mulierum Libr. 1.*

t) In cancro matricis apud MOSCHIONEM laudantur encolpiſmi aut iniectiones ex cydoneis malis, cum alumine ſciſſili, acacia, (quae Gummi arabicum nobis eſt) Lycio et hypocyſtide (qui ſucci adſtringentes ſunt et ex acido auſteri) coctis. *Harmonia Gynaeciorum* Tom. 1. p. 79.
In cancro vteri PAVLVS *Aegineta* conſulit per metrenchytam iniiciendum plantaginis cremorem cum lacte mulieris.

vnicum tunc ponatur praeſidium, u) niſi mulierem, reſorpto pure, ex febre putrida, puerperis valde inimica, extremum vitae periculum incurrere malimus: Ita quoque pus, quod ex tuberculo rupto in matrices effunditur, eluendum eſſe, HIPPOCRATES cenſuit. x) Eadem de cauſa, cum peregrina in vteris manentia intra ipſos computruerunt, fit, quo, aëre per putredinem orto, liquidis ſcilicet morboſis in minimas moleculas euolutis, oriatur matricis empneumatoſis, quae ſeſe, tumore abdominis, ad percuſſionem ſonoro, flatibusque foetidis de matrice ſubinde procedentibus, manifeſtat, quo in caſu veteres ſimiliter fotus inſeſſusque, reſerandi oſtii matricis et educendorum flatuum vterinorum cauſa, conſulunt. y)

§. XII.

De vtero ſtricto per lotiones laxando.

Morboſa haud raro partium muliebrium occurrit anguſtia, a fibris nimia elaſticitate donatis, aut membranis praeter naturam oſtio vteri externo innaſcentibus, orta. Fit etiam, quo ad internam

u) AVICENNA *Libr. 3. F. 21. Tract. 2.* Iniicit vnguentum baſilicum ſoluendae placentae cauſa.
SENNERTVS *Prax. Libr. 4. Parte 2. Sect. 7. c. 2.* ſecundinas remanentes ſuppuratione ſolui ſcribit: Certe de ſecundinis abortuum minorum conſtat, eas ſuppuratione ſolui. DIONIS *Libr. 3. cap. 6.*
MAURICEAU *Obſ. 414. 462.* Iniectiones, cum putridae ſecundinae ſunt, ſuadet, ex decocto hordei et vſum illarum, quater per diem, contra matricis a putrida ſecundinarum materia, contagium, praecipit.

x) Interdum pus intra vteros gignitur, quod ex tuberculis in vtero ſubortis contingit: Celeriter, priusquam pus in vteris in totum indureſcat, expurgare illud oportet. HIPPOCRATES Libro *de iis, quae vterum non gerunt.*

y) Empneumatoſi vteri medetur PAVLVS *Aegineta* Encathiſmo ex decocto rutae, pulegii, artemiſiae, aliisque herbis calefacientibus et flatus diſcutientibus *Tom. I. Gynaec.* p. 168. perque metrenchytam iniicit decoctum origani, foliorum viticis, ammeos, ex vino, addita hiera picra.
Si vteri inflati fuerint, calida lauandum crebroque toto corpore inſidendum, interdum, ad vmbilicum vsque, fomentum adhibendum, et ea, quae purgent, non mordeant, in ſubditis apponenda: Suffitus ex odoratis, pudendis adhibeatur, naribus vero ex graueolentibus. HIPPOCRATES *de Morbis Mulierum* Libr. 2.

nam oſtii externi oram exſurgant tubercula, aut alae connaſcantur inuicem, aut cicatrice aliqua, ex quo vis partibus iſtis illata eſt, aditus claudatur; Etenim non vnus foeminarum iſtarum, quas atretas vocamus, modus eſt, ſed iſthaec clauſura, adductis ſub varietatibus, alia atque alia eſſe poteſt, et diuerſa matricis officia abhinc intercipiuntur. Etiamſi autem, in plerisque caſibus, chirurgia ipſaque manualis opera, vnica auxilio eſſe poſſit, tentanda tamen foris etiam ſunt ea, quae molliunt, inſeſſus ſcilicet, quos encathismata graecis appellari, paulo ante indicaui, balnea etiam atque vnguenta, [z]) vt alia, quae praeſentis inſtituti haud ſunt, nunc non adiiciam, ſi fortaſſe ſarcomata et tubercula venerea in ſinu muliebri naſcerentur, et internorum medicamentorum vſum poſtularent, vtpote cui de medicamentorum topicorum effectibus ſermocinari conſtitutum nunc eſt vnice, relictis iis, quae, alio reſpectu, ad hanc rem aliquid conferre poterant. Nihil quoque impedit, ad hanc ſtricturae vterinae ideam reuocari illam obſtructionis menſium ſpeciem poſſe, quae ex ſpasmo vaſa vterina praecludente oritur. Quodſi ergo foemina, ſub aetatis flore, vterum non gerens, nulla ſanguinis ſpiſſitudine laborans, et optimis caeteroquin humoribus gaudens, ex ſolo ſpasmo, os vteri internum claudente, menſium defectum habet, atque menſtruis, maxime illis, quae ex vteri ipſius vaſis, ideoque ex oſtio matricis interno procedunt, ponitur obſtaculum, quod ab externa cauſa natum eſt, quando refrigerio incautius admiſſo viae ſanguinis occultatae fuerunt; Quodſi etiam in ſolidis mutationem aliquam paſſae matrices ſunt, vt illis ad mentem HIPPOCRATIS vel obliquum os internum ſit, vel alio modo ſitus illarum naturalis mutetur, quae res vtplurimum, morborum, ſane atrociſſimorum, et ſterilitatis quoque, cauſa fieri poſſet; [a]) Hiſce ſane vteri affectionibus

z) Fit anguſta quaedam interdum circa muliebrium locorum os praecluſio, quam φιμὸν appellant: Medendum igitur eſt encathiſmis mollificantibus, quae conſtituuntur ex hydrelaeo et foenu graeci elixatione. *Harm. Gynaec. l. c.*

a) HIPPOCRATES *de Morbis Mulierum Libr. 1.* Si mulieri ἀτόκῳ, quae concipere nequit, occultentur menſes, nec poſſint illi viam extrorſum inuenire,

ctionibus non poterunt non vtilem praeſtare operam medicamenta omnia chalaſtica dicta, quae leniendo proficiunt, et tam ſpasmos ſopiunt, quam oſtium vteri internum, maxime, ſi illud aetate prouectioribus occalleſcere incipit, molliunt. Nollem adeo negare enematum, pro ſterilitate abigenda, efficaciam, quodſi illae, ex rebus tam robur fibrae auctum laxantibus, quam talibus, quae fragrantia ſua, nerueam vteri telam ſuauiter afficere et ſpiritus illuc pellicere poſſent, compoſitae fuerint, [b]) qua in re alienos fumos, excitandorum quoque vna menſium cauſa, admitti ſolitos, alienos ideo haud eſſe arbitror, quod fragrantibus rebus, ob ſimilitudinem, quae illis atque fluido nerueo intercedit, in neruorum ſyſtema aliquod poſſit eſſe imperium. Abſint autem per omnem modum acriora pharmaca atque draſtica, maxime illa, quae ſub peſſariorum forma [c]) ad ciendos menſes a temerariis medicis, HIPPOCRATIS tempore, veluti in Libris *de Morbis mulierum* habetur, applicata vteris fuerunt, quos COUS non laudat, ſed eosdem, in altero illo *de morbis mulierum* libro ſaltim enarrat, ſiquidem, mitiſſima quaeuis, fumi fibram ſpaſticam relaxantes, [d]) balnea et inſeſſus, quibus mollientes herbae inco-

D 2 ctae

nire, morbus fit. Hoc autem accidit, cum os vterorum conniuet et extenuatur, aut aliqua muliebrium pars in ſe contracta eſt. Si enim aliquid illorum eſt, exitum menſes inuenire haud poterunt, niſi matrices in ſtatum naturalem reuertantur. Accidit autem morbus illis maxime, quae anguſtas matricum vias habent, aut quibus ceruix vteri extra muliebria iacet.

b) EROTIS, de cura agens, qua matrices ad conceptionem aptae reddi posſint, ita habet: Si fuerit phlegmatica et craſſa, faciamus ei balneum de aqua marina et ſalſa, ad moderationem tamen aquae imponimus iuniperum, nepetam, pulegium, abſinthium, artemiſiam, hyſſopum: In hoc balneo faciat moram, quousque ſatis ſudet: Poſtea recipiatur caute in lectum et bene cooperiatur. Conf. *Harm. Gynaec.* Tom. I. l. c.

c) Peſſaria plura ad menſes prouocandos, vide apud WOLPHIVM *Harmon. Gynaeciorum* Tom. I. p. 46.

d) Suffumigium ad ciendos menſes, ex EROTE de Paſſionibus mulieris, *Harmonia* Gynaeciorum proponit Tom. I. p. 92. Folia lauri et ſabinae, trita ponantur ſuper carbones viuos in ſede perforata, et deſuper ſedeat mulier et fumum recipiat per inferiora: Valet etiam praedicta fumigatio, de cumino, foeniculo, anetho, calamintha, mentha.

ctae fuerunt, [e]) poſt medicamenta interna, hoc ipſum, ſecurius omnino, praeſtare poterunt.

§. XIII.

De purgamentis puerperarum retentis, lotione educendis.

Grauius et periculoſius malum eſt, ſi ſanguis, quem poſt partum fluere oportet, relinquatur, atque vel in celluloſae vteri ſubſtantiae cauernulis ſubſiſtat, vel in cauitate ipſa vteri collectus in grumos abeat, impedimentum allaturos, quo minus reliquus cruor, quem, vteri contrahendi gratia educi fas eſt, exire poſſit. Si vtriusque huius euentus cauſas rimemur, poſſunt equidem inter externas eſſe variae, frigus incautius admiſſum, animi pathemata; quodſi autem internas reſpicimus, duae ſeſe offerunt, quarum alia in motus vteri, quo ille ſeſe cum aliquo niſu elaſtico contrahit, defectione et dolorum a partu ſolemnium abſentia, alia autem, in robore fibrarum matricis per ſpasmum aucto, conſiſtunt: vbi enim vel dolores poſt partum ſpontanei plus iuſto vrgent,

e) Altheam coque, exinde ſuperſedere mulierem facito ad vaporem: Sic menſtrua educit vetus Autor apud WOLPHIVM *Harmonia Gynaeciorum* Tom. I. p. 48. Balnea et inſeſſus ad retentiones menſium praeſcribit *Nicolaus* ROCHAEVS *de Morbis Mulierum curandis cap. 3. apud Harm. Gynaec.* T. II. p. 143. ſabinae, herbae origani, calaminthae, pulegii, menthaſtri, chamaemeli, peucedani, abſinthii, foliorum lauri, lauendulae, artemiſiae, florum ſambuci, radicis valerianae: Coquantur, repleatur ſacculus his rebus, ſuper quem in balneo ſedeat mulier, et ſuper femur ſaccum artemiſiae calidae teneat:

Fotus, euaporationes et ſuffitus ad ciendos menſes proponit *Nicolaus* ROCHAEVS *de Morbis Mulierum curandis cap. 3. apud Harm. Gynaeciorum p. 145.* Abrotani, anethi, artemiſiae, chamaemeli, florum ſambuci, ſeminis lini. Ex his contritis et in vino coctis in vaporario aut ſolio, balnei loco, vaporetur mulier.

MOSCHIONIS de menſium retentione, balneis curanda, Conſilium: Quod vterum ipſum attinet, cum foemina ſuper inſeſſibus collocata fuerit, aut in balneum deſcenderit, eandem vel ſpongia vel lana molli, ab vmbilico ad inferiores locos, cum aliqua commotione fricari oportet, ita, vt quotidie frictiones augeantur; poſt inſeſſus autem et balnea, vnguentum ex oleo Irino vel illo quod cum Sampsucho (maiorana) coctum eſt, partes inungendae ſunt, quibus ipſum vteri os internum perungi oportet *Harm. Gynaec.* Tom. I.

vrgent, vel inducti aliqui dolores a cauſa quadam violenta fuerunt, vtroque modo efficitur, quo fontes ſanguinis a partu fluxuri praecludantur, quae res puerperas in manifeſtum vitae periculum [f]) ideo inducere poteſt, cum haud procul abſit inflammatio et febris *lochialis* in *putridam* abitura propediem, niſi fluxus reſtituatur, et modeſte promoueatur; quod quando effecturi ſumus, non ſane acrioribus, motum ſanguinis erga matricem augentibus medicamentis, vtendum eſt, vtpote quibus non poteſt non infarctus, impedimento fluxus perſiſtente, augeri ipſaque febris cum inflammatione maiorem in modum prouehi: Prae caeteris, grumi ſanguinis, poſtquam illis cauitas vteri repleta fuit [g]) magnas puerperis mouere poſſunt moleſtias, vt metus ſit, ne gangraena ſuperueniat. Etiamſi autem, ſi conatus poſt partum, ad exprimendum eiusmodi lochialem ſanguinem, neceſſarii deſunt, tam interne analepticis vti, alienum haud ſit, quam externe tonica applicare, valde ſit conueniens; in pleriſque tamen caſibus ad ſpasmum reſpiciendum eſt; quem, tam internis medicamentis, ipſaque venaeſectione ſoluere tentamus, quam, ad mentem veterum, externis quoque fomentis, [h]) atque lotionibus hunc in finem vtimur, [i])

quae

f) Purgamenta minime interdum exeunt, verum id mulieri interitum portendit, niſi vel vena celeriter ſecetur, vel aluus molliatur; Optimum quoque eſt clyſterem dare: HIPPOCRATES *de Morbis Mulierum* Libr. I.

g) Eo momento, quo placenta ſecedit, perrumpit ſanguis, non guttatim ſed vno impetu deorſum deſcendit. BOERH. de *Concept.* text. 685. apud HALLERVM.

h) Si lochia grumeſcunt et dolor in imo ventre naſcitur, tertio quoque die lauetur, coelo ſereno et clementi, nam frigus illis contrarium; nec tamen nimis calido balneo vtendum. HIPPOC. *de Morb. Mulierum Libr. 1.*

Si mulieri ſanguis, qui a partu fluit, non vacuatur, coquenda eſt malua, et oleum cyprinum aquae infundendum, et encathiſmus, dolorem leniens, parandus eſt, ἐγκαθίζεσθαι παρηγορικῶς: HIPPOCR. *de Morbis Mulier.* Libr. I.

i) Quin etiam per infuſum vteros eluito, quo ſanguinem educas. HIPPOC. *Libr. 1. de Morb. Mulier.* hoc auxilio vſus quoque eſt HARVAEVS *de partu* p. 552.

quae cum emollire, tum dolores poſt partum, illos, qui vteros magis adſtringunt, quam aperiunt, conſopire valent. [k])

§. XIV.

De inflammatione vteri, ex fluxus ſolemnis obſtructionibus nata, enemate mitiganda.

Etiamſi autem a variis cauſis violentis matrices inflammari poſſint, frequentius tamen eſt hoc ita fieri, cum ſolemnes fluxiones haud eueniunt, quarum defectione non tantum in minimis matricum arteriis, ſed et in maioribus, quies, et abhinc valida contra cor reſiſtentia, et febris, in ipſa autem vteri ſubſtantia, tumor, rubor, calor, dolor, oriri poſſunt: Infrequens ſane non eſt, tam a menſium fluxu cohibito, quam a lochiorum euacuatione deficiente, infarctum, intra adducta matricis vaſa, naſci, qui inflammationis proxima cauſa fieri poſſit: Sane, quando foeminarum, quae vterum non gerunt, affectiones, ſub emanſione menſium illis ſolemnes, diſpicimus, etiamſi illae variae ſunt, atque tam in doloribus circa lumbos fixis, quam in vagis et ex conſenſu, vel a reſtagnatione ſanguinis verſus ſuperiora, natis, conſiſtunt, quibus etiam omnes ſpasmorum in genus neruoſum effectus, quos enumerare nunc longum foret, accedunt, omnes tamen illae ad ideam inflammationis vterinae, vtpote quae ſuos gradus habere poteſt, reuocari poſſunt, nec obſtat, multis, ſub iſto ſtatu, mulieribus pulſum deficere, frigus adeſſe, animum deficere, vt propterea inflammati quid circa matricem tunc ſubeſſe haud videatur; ſiquidem iſta oligoſphyxia mulierum non tam morbus ipſe, quam morbi effectus et ſpasmi, vaſa maiora ipſumque cor valide ſtringentis, ſequela eſt, vt propterea nihil impediat, ea conſilia, quae ſub viſcerum aliorum inflammationibus capiuntur, hic quoque capi poſſe, et, quod meum propoſitum nunc attinet, locum inuenire externa etiam antiphlogiſtica, ſub lotio-

k) Ad dolores poſt partum HIPPOCRATES *Libr. 1. de Morbis Mulierum* ſuffitus ex herbis fragrantibus, ordinat *θυμιῶν ἐς τὰς μήτρας τῦτο ὀδύνας παύσει.* Suffiendae ſunt matrices: Hoc dolores ſedat.

lotionum ſpecie, quacunque etiam de cauſa inflammatio nata ſit, exhibenda. [1])

§. XV.

De paſſione hyſterica enematibus leuanda.

Tanta et cauſarum et ſymptomatum in iſto morbo eſt frequentia et varietas, vt, etiamſi illum ad vnam ideam generalem, ſpasmi neruos omnes vehementer diſtendentis, et vaſa, vel omnia, vel ſingula, in varia parte, conſtringentis, reuocare poſſimus; vnus tamen ſanationis modus in omnibus iſtius aegritudinis ſpeciebus a diuerſa cauſa natis, eſſe nequeat. Siquidem, mox fluxuum ſolemnium defectio, mox illorum augmentum, mox eorundem praua mixtio, mox iterum acredo ſtimulans, aliquando peregrina res in matrice collecta, vel ſubſtantiae eius ſcirrhoſa, vlceroſa, cancroſa mutatio iſtos motus variantes, quos vno paſſionis hyſtericae titulo compellare ſolemus, excitare ſolent. Etiamſi autem, veluti cauſae iſtius mali variant, ita quoque indicationes cauſales variare inſigniter debeant, vt propterea ad vnam menſuram omnium mulierum hyſtericarum pathemata aequari nequeant: Quodſi tamen ad formam mali reſpicimus, quam in ſpasmo vaſa ſtringente poſitam eſſe, haud obſcure perſpicimus, haud difficile eſt, aliquam, licet tantum ſymptomaticam et palliatiuam indicationem inuenire, quae vrgentibus ſpasmorum effectibus, leipothymiae, ſyncopae, neruorum diſtentionibus, ipſi epilepſiae, et

1) De Inflammatione vteri PAVLVS *Aegineta* ita habet: Caeterum per omnem medicationem encathiſmis quoque ex decoctione foenu graeci, ſeminis lini, herbae maluae, artemiſiae et oleo concinnatis vtendum. Quae hoc non ſuſtinent, ex calida aqua cum decocto roſaceo eiusmodi iniectio fiat.

Vteri phlegmone multis de cauſis fit, aliquando ex frequenti abortu naſcitur, vel ſi ab imperita obſtetrice mulier male fuerit obſtetricata, et aliquando omnis matrix eſt in feruore, aliquando pars eius: Ad encathiſmata ſunt collocandae, Cataplaſmata ex ſeminibus ſunt apponenda. Spongiis etiam ex feruente ſucco tinctis et expreſſis vaporamus. WOLPHIVS *ex Moſchione*.

et ſingulariter, ſuffocationi vterinae opponatur. Eiusmodi celeria auxilia, celeri malo opponenda, vt nunc intra meos limites maneam, atque ad interna remedia antiſpaſmodica haud progrediar, docente quotidiana experientia, nec ratione contradicente, ſunt fotus ex emollientibus [m]) parati et graueolentia quaeuis, quae ſuo halitu, characterem narcoticorum, quae foetent, habente, genus neruoſum demulcere, illudque laxare poſſunt: Etiamſi autem perinde ſit, cui parti res graueolens illiniatur vel alio modo applicetur, illis tamen locis eiusmodi neruina remedia potiſſimum applicanda erunt, in quibus maior neruorum eſt frequentia, nec errant, qui matricibus potiſſimum admouenda ſuaueolentia eſſe, arbitrantur, cum a vero prope abſit, halitus iſtiusmodi muliebribus applicatos validam fibrarum matricis adſtrictionem eo promptius, quo propius parti dolenti admoti fuerunt, reſoluturos eſſe. [n])

§. XVI.

De vteri duritia emollienda.

Vterus, pro ratione ſuae ſubſtantiae celluloſae, non aliter ac glandulae, ab infarctu humorum craſſeſcentium aliquando induratur, id quod, vel in ipſis matricis parietibus, vel foris ad eius oſtium accidere ſolet, ita quidem, vt, haud raro, pro vteri deſcenſu, tumor aliquis ſcirrhodes haberi ſoleat. [o]) Graue iſtud, et

m) Ad hyſtericam paſſionem Inſeſſionibus ac mollientibus rebus, ex adipe anſerino, ſtyrace, maſtiche, ammoniaco confectis vti licet: Vterus iis, quae calefaciendi virtutem habent, ſuffiendus. PAVLVS *Aegineta.*

n) Ad ſuffocationem matris conſilium ex EROTE de paſſione mulierum *Harmonia Gynaeciorum* Tom. I. p. 94. Oleis et vnguentis, quae ſunt odoris aromatici debent muliebria inungi intus et extra, qualia ſunt, oleum nardinum, Inunctio facta cum Zibetho.
HIPPOCRATES de ſtrangulatu hyſterico ita habet. Tunc, cum morbus in ſumno fuerit, ſub naribus graueolentia in ſuffitu exhibeto, infra vero, quae ſunt grati odoris *Libr. 2. de Morbis Mulierum.*

o) Scleroma a ſcirrho vteri diſtinguit PAVLVS. Scleroma conforme eſt ſcirrho circa muliebrium ceruicem magna ex parte conſiſtens, tumorem quidem habens eodem pacto ſed minus durum, cum dolore mediocri: Iniicit

et fere immedicabile malum eſt, diris ſtipatum ſymptomatis: Aliquando eo vſque intumeſcunt, et ſuae ſubſtantiae augmentum accipiunt vteri, vt foetum gerere videantur, eoque facilius ſibi imponi patiantur mulieres, quo plus grauiditatem mentiuntur fallaces ſpaſmorum impreſſiones, quae foetus moti ſimilitudinem habent. Intercurrunt motus febriles et tabes mulieris corpus ſenſim inuadit: Quae cum ita ſeſe haberent, veteres, emollientium vſu aliquid perfici vtiliter poſſe, fuerunt arbitrati. p) Enimuero an emolliendus ſcirrhus ſit, qui cancri occulti veſtigia oſtendit, dubium omnino oritur, ſiquidem metus eſt, ne, quae, certe ſine magno dolore, ſuperſtes eſſe poteſt mulier, quamdiu ſcirrhus quietus iacet, inter immanes cruciatus pereat, poſtquam ille malacticorum vſu, in vlcus rodens excitatus fuit.

§. XVII.

De partu per Enemata vterina iuuando.

Non tantum priſcis temporibus ita factum eſſe legimus, quo foeminae ſub vltimi geſtationis menſis fine, emollitis balneo vteris, ad partum faciliorem q) praepararentur, atque ſub ipſis quoque partus laboribus inſeſſibus fumisque iuuarentur, aut iuuari poſſe crederentur, ſed hiſce quoque temporibus conſultum videtur eſſe, quo mulier, partui vicina, aliquoties balneo tepido immerſa ſedeat, atque, cum nunc aliqui ex conatibus, qui partum prope abeſſe nuntiant, comparuerunt, illi ſuccendatur thus, olibanum, maſtiche, ſuccinum atque alia fragrantiora pharmaca,

iicit ROCHEVS *l. c. Gynaeciorum* p. 180. Decoctum foenu graeci, lini cum oleo anethino et Sambucino.

p) De duritia matricis conſilium MOSCHIONIS *Harmonia Gynaeciorum* Tom. I. pag. 17. Encathiſmatibus metaſyncriticis vtimur, hoc eſt aqua, in qua decoctae ſunt baccae lauri, faſces hyſſopi, menthae, marrubii; Deinde ad aquas calidas eas mittimus et natare in mari iubemus.

q) Sub noni menſis fine, vt embryo eo facilius egredi poſſit, ipſis locis molliens praeparandus eſt inſeſſus, et balneis vtendum atque peſſariis, quae ex pinguedine anſerina et medulla ceruina conficiantur, et digito inuncto os matricis mediocriter aperiendum eſt. MOSCHION. l. c.

maca, quae ſuper carbones ardentes in fumos eleuari poſſunt. [r]) Enimuero, non omni ratione iſtud conſilium deſtituitur: ſunt enim aliquando conatus pariendi ſteriles ac tergiuerſantes, verſus ſuperiora tendentes, ſpaſmi ſcilicet tam vteri ipſius, quam muſculorum, quibus partus iuuatur: Nec minus, caeteris omnibus ſeſe bene habentibus, conatus ipſi partus deficiunt, aut breues ſunt et ignaui. Proinde inconſultum haud eſt, illos ſpurios parientium labores fumis graueolentibus opprimere, veluti, hoc ita effici poſſe, ſupra propoſitum fuit, torpentes autem, fotibus, de vino generoſo et herbis fragrantibus, excitare. [s])

§. XVIII.

De foetu poſtquam aquae effluxerunt, iniectionibus perluendo.

Inter partus commodi et facilis opportunitates non vltima eſt, viarum, quibus egredi foetus debet, lubricitas, quam illis liquores chorii et amnii, ſub ipſo partu effuſi, conciliant, quam etiam, mucus ex cryptis muciparis, circa os vteri internum ſitis fluens, et conatu pariendi vberiore modo expreſſus, comparare poteſt. Quapropter obſtetrices, quantum in viribus eſt, eo allaborare debent, vt, illo tempore, quo vterus ſuo liquido adhuc bene perunctus eſt, partum promoueant, nec ante, quam res id exigit, humores, vulneratis membranis, effundant, quod ſi effecerint, partum, qui caeteroquin, reſpectu ſitus embryonum, poterat eſſe facillimus, in difficillimum conuertent; Poſteaquam autem, ſiniſtro caſu, hoc ita euenit, quo foetus, deſiccato per moram vtero, haereat, vel artus ad partum inepti ſeſe offerant, ita,

r) Si foemina non poterit parere, ſuffitum para ex reſina aut cumino aut cortice pini. HIPPOCR. *de Morbis Mulierum Libr. 1.*

s) *Ludouicus* BONACIOLI Enneas Muliebris. Extat cum *Harmonia Gynaeciorum*, in partu difficili conſulit Fotum ex Floribus chamaemeli, meliloti, Foliis maluae, biſmaluae ac violarum, ſemine lini, cotoneorum, foenu graeci, radicibus liliorum alborum, aqua coctis.
Fouere ſedem et pudendum ad inguina oportet, et inſeſſus parandi, idque tum vel maxime, cum dolores vrgent. HIPPOCRAT. *de Morbis Mulierum Libr. 1.*

ita, vt in pedes, introducta manu, conuertendus infans nunc ſit, illud autem, ſicco vtero, perfici commode omnino nequeat; Tunc ſane inconſultum haud eſt, pro amiſſo naturali liquido artificialem mucum per metrenchytam iniicere, totum foetum mucagine aliqua perluere, atque eundem ita laeuigare, quo verſatile eius corpuſculum manibusque obſequioſum efficiatur. [t])

t) Chorio rupto, ſaepe humores, qui partum ad exitum iuuant, defluunt, partu ſicco manente, tunc iniice decoctnm ſequens Recipe Altheae cum radice manipulos duos, artemiſiae manipulum vnum, Foenu graeci ſeminis lini vncias tres, decem ficus ſiccas, coquantur. Decocti vnciis quatuor adde olei lilini, vncias duas, moſchi granum vnum. *Nicolaus* ROCHAEVS, *de Morbis Mulierum curandis. Extat c. Harmonia Gynaeciorum p. 217.*

CLARISSIMO CANDIDATO

S. D. P.

P R A E S E S.

Quem vtroque acrius tentatum examine probauimus omnes, facile mihi perſuaderi paſſus ſum, vt copiam facerem, eruditionis Tuae ſine vllo meo auxilio etiam publice probandae. Quum enim ab Ordine Noſtro Gratioſo is conſtitutus ſim, qui Te, cathedram eſcendentem, comiter, Tuque mihi hac de cauſſa obtuleris diſſertationem Tuam perpoliendam: reddo Tibi tamen eamdem, omnino immutatam, vereque Tuam eſſe, cupio. Non dubito, Te eam ita eſſe defenſurum; vt vel hoc nomine ſummos in arte ſalutari honores bene meritus capeſſas, quos Tibi quam proxime acceſſuros, ex animo gratulor, fauſtiſſima quaeque et in poſterum adprecatus. Lipſiae a. d. XV. Oct. cIↃIↃCCLV.